



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. II. Resolvitur difficultas proposita

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

§. II.

Resolvitur difficultas proposita.

Deo primò, obiectum formale quod fidei esse Deum, sub ratione primæ veritatis in essendo, subindeque sub ratione Deitatis.

Prima pars probatur primò ex D. Thoma hic art. 1. dicente, Deum se habere ad fidem, sicut sanitas se habet ad medicinam: Sed sanitas est obiectum formale quod medicinæ: Ergo Deus est obiectum formale quod fidei.

Probatur secundo ratione fundamentali, quam ibidem insinuat S. doctor: Illud dicitur obiectum formale quod alicujus potentia, vel habitus, quod per se primò attingitur, & in ordine ad quod cetera respiciuntur; ut patet in exemplo adducto, nam quia medicina per se primò sanitatem respicit, & nihil considerat nisi in ordine ad illam, sanitas est obiectum formale quod medicinæ: Sed fides per se primò Deum respicit, & omnia quæ attingit considerat in ordine ad Deum, ut docet D. Thomas hic art. 1. ad 1. his

verbis: *Ea quæ pertinent ad humanitatem Christi, & ad sacramenta Ecclesie, vel ad quasque creaturas, cadunt sub fide inquantum per hæc ordinemur ad Deum. . . . Et similiter dicendum est ad secundum de omnibus illis quæ in sacra Scriptura traduntur. Et 1. p. quæst. 1. art. 7. Omnia (inquit) pertractantur in sacra doctrina, sub ratione Dei, vel quia sunt ipse Deus, vel quia habent ordinem ad Deum. Nec obstat quod ibi loquatur de obiecto Theologiæ: quia, ut idem S. doctor subjungit: Idem est subiectum principiorum & totius scientiæ: fides autem est habitus primorum principiorum respectu Theologiæ, ut docet ibidem art. 2. dicēs: Sicut musica credit principia tradita sibi ab Aristoteli, ita doctrina sacra credit principia revelata sibi a Deo.*

Confirmatur ex Apostolo ad Ephes. 1. & ad Coloss. 2. ubi aperte docet totam summam fidei nostræ, ac nominatim ipsum Incarnationis mysterium, ad Dei agnitionem referri: quod etiam eleganter declarat Augustinus lib. 11. de civitate Dei cap. 1. pulchra oratione assumans ipsum etiam Christum hominem esse viam, quæ fides pervenit ad Dei cognitionem. *Ut mens in fide (inquit) fidens ambularet ad veritatem, ipsa veritas Deus, Dei filius, homine assumpto, non Deo consumpto, eandem constituit ac fundavit fidem, ut ad Deum iter esset homini, per hominem Deum. Hic est enim mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus. Christus per id quod est mediator, est homo, & via perveniendi ad Deum: quia si inter cum qui tendit, & illud quod tendit, via media est, spes est perveniendi; si autem desit, aut ignoretur quæ eundum sit, quid prodest nisse quo eundum sit? Sola est autem adversus omnes errores via munificissima, ut idem ipse sit Deus & homo. Quo itur, Deus: quæ itur, homo.*

Confirmatur ampliùs: cum Deus ut Deus, inter omnia quæ fides credit, si quid præstantissimum, & per alia omnia quæ creduntur, magis ac magis nobis innotescat, dubitari non potest, quin ex natura ipsa fidei, omnia alia quæ creduntur eo spectent, ut magis ac magis Deus à nobis per fidem cognoscatur: siquidem fides in hujus vite caligine, instar lucernæ nobis est, ad cognoscendum Deum, donec dies beatitudinis elu-

Tom. IV.

A teletur, & Lucifer oriatur in cordibus nostris, ut ait S. Petrus Epist. 2. cap. 1. Est igitur Deus obiectum formale quod nostræ fidei.

Probatur tertio: Omnis virtus Theologica habet pro obiecto quod ipsum Deum; religio enim non est virtus Theologica, quia licet respiciat Deum, non tamen ut obiectum quod, sed solum ut obiectum cui cultum exhibet: prophetia etiam, licet habeat Deum pro obiecto cui (nam Deo revelanti assentitur) quia tamen non habet Deum pro obiecto quod, sed rem temporalem, non est virtus Theologica, ut docet S. Thomas in 3. dist. 23. quæst. 2. art. 3. quæst. iunc. 1. ad 4. Sed fides est virtus Theologica, ut omnes concedunt: Ergo respicit Deum ut obiectum formale quod.

Id confirmant Valentia, Sylvius, & alij ex Scriptura, appellante fidem Theologicam, *Fidem Dei: Marci 11. Habete fidem Dei.* Sed hæc probatio non urget: nam ibi potius per fidem Dei, phrasi Hebraicâ, significatur fides magna & heroicâ, ad quam Christus, apostolos ibi hortabatur: simili modo quo montes altissimi & cedri procerissimæ, vocantur in Scriptura *montes Dei, & cedri Dei.* Eodemque sensu intelligendum purò illud de Christo dictum, Luca 6. *Erat pernoctans in oratione Dei,* id est in oratione lugis & valde ferventi: utuntur enim Hebræi frequenter hac loquendi formulâ, ad exprimendum gradum superlativum, quo carent: & Evangelistæ, quamvis aliâ lingua scripserint, excepto Matthæo, habent interdum Hebraismos, ut observant ejus linguæ periti.

Secunda pars conclusionis, quæ asserit Deum, sub ratione primæ veritatis in essendo, esse obiectum formale quod fidei, colligitur etiam ex D. Thoma hic art. 1. in argumento *sed contra*, ubi ex S. Dionysio cap. 7. de divin. nomin. ait: *Fides est circa simplicem, & semper existentem veritatem:* Sed id circa quod fides est, ejus est obiectum quod; & veritas simplex & semper existens, est prima veritas in essendo: Ergo Deus, sub ratione primæ veritatis in essendo, est obiectum formale quod fidei.

D Ratio etiam suffragatur: Nam Deus sub diversa ratione est obiectum quod fidei & charitatis: Sed hæc non est alia quàm ratio primæ veritatis in essendo; quæ diversa est à ratione summæ bonitatis sub qua est obiectum charitatis: Ergo &c.

Confirmatur: Fides est virtus existens in intellectu: Ergo cum obiectum intellectus sit verum, fides suum obiectum, nempe Deum, sub ratione primæ veritatis in essendo respicit.

Confirmatur ampliùs: Deus secundum rationem Deitatis (subindeque secundum rationem primæ veritatis in essendo, quæ, restatim dicemus, est ipsa Deitas cum aliqua habitudine ad intellectum) est obiectum formale quod beatitudinis, ac visionis Dei: Ergo & fidei. Consequentia patet: Tum quia fidei succedit visio: Tum etiam quia fides est impressio seu participatio scientiæ divinæ, subindeque idem habent obiectum formale quod variata tantum ratione clari & obscuri.

Ex his probata manet tertia pars: Veritas enim in essendo non addit aliquam perfectionem supra Deitatem, sed ipsammet Deitatem alio modo significat, nempe cum quadam habitudine ad intellectum, sicut verum in creatis non addit aliquid supra ens, sed ipsam rationem entis, ut

Cc iij dicat

licit habitudinem ad intellectum, exprimit: Ergo sicut objectum intellectus, tamen si verum esse asseratur, dicitur etiam esse ens, ita & objectum formale quod fidei, licet asseratur esse Deum ut verum, seu sub ratione primæ veritatis in essendo, tamen dici potest esse Deum ut Deum, seu sub ratione deitatis. Unde ait Cajetanus hic art. 1. §. ad evidentiam, non sunt diversa, deum esse objectum fidei sub ratione deitatis, aut primæ veritatis.

13. Dico secundò: Objectum formale sub quo fidei est veritas prima in dicendo, non præcisè sumpta, sed ut connotans primam veritatem in cognoscendo, seu summam & infinitam dei sapientiam, ratione cuius in seipso falli nequit.

Prima pars est d. Thomæ hic art. 1. in corp. ubi ait fidem non assentiri alicui, nisi ut revelatur à deo. Et quæst. 14. de verit. art. 8. ad 16. asserit *testimonium veritatis primæ se habere in fide, ut principium in scientiis demonstrativis*: principia verò in scientiis cum sint veluti lux, quæ illuminantur & manifestantur conclusiones, sunt ratio formalis sub quæ, ut docent Philosophi in Logica, & Metaphysica: Ergo juxta d. Thomam ratio formalis sub qua fidei est divina revelatio, seu veritas prima in dicendo seu revelando. Unde in 3. dist. 29. quæst. 1. art. 2. ad 1. a. 2. *Objectum fidei non est veritas prima, secundum quod est in re existens tantum, sed secundum quod est nobis divinitus annuntiata.*

- Ratio etiam id suadet: Nam de ratione formalis fidei in communi est, quod innitatur testimonio dicentis, ita quod non habeat aliud motivum ad credendum, nisi testimonium & auctoritatem dicentis; in quo distinguitur assensus fidei ab assensu scientifico: Ergo fides divina debet inniti testimonio divino, & propter illud, tanquam propter motivum formale, moveri ad credendum veritates à deo revelatas. Sed divinum testimonium de veritatibus revelatis immediate procedit à divina veritate, quæ Deus est summæ & infinite inclinat ad testificandum & dicendum verum: Ergo divina veritas, seu veritas prima in dicendo, est motivum, seu ratio formalis sub qua fidei. Unde in scriptura Christus Dominus exigens à nobis fidem, proponit Dei veritatem in dicendo, tanquam illius motivum. Ioan. 6. *Qui me misit verax est, & ego quæ audiivi ab eo, hæc loquor in mundo.*

15. Probatur etiam secunda pars: Ut testimonium Dei sit ratio formalis sub qua fidei, debet esse omnino infallibile: Sed hoc non potest habere, nisi primam veritatem in cognoscendo, seu summam & infinitam Dei sapientiam connotet. Ergo testimonium Dei, seu veritas prima in dicendo, præcisè sumpta, non est ratio formalis sub qua fidei, sed solum ut connotat primam veritatem in cognoscendo, seu summam & infinitam Dei sapientiam. Major est certa, cum enim fides sit omnino infallibilis, niti debet motivo omnino infallibili. Minor verò suadet: Ut testimonium Dei sit omnino infallibile, non sufficit quod Deus non possit fallere in dicendo, sed insuper requiritur quod non possit falli in cognoscendo; ille enim qui potest falli in cognoscendo, potest alios fallere, si non ex malitia, saltem ex ignorantia, ut de se patet: Sed quod Deus non possit falli in cognoscendo, provenit ex summa & infinita ejus sapientia, ratione cuius nihil ipsum latet, & seipsum, ac res omnes eodem modo quo sunt in se clare cognoscit: Ergo testimonium

A Dei non potest esse omnino infallibile, nisi connotet summam & infinitam Dei sapientiam, quæ est prima veritas in cognoscendo. Unde rectè Hilarius: *Soli Deo de se credendum est, qui solus se novit.* Quibus verbis certitudinem & infallibilitatem fidei, non solum in Dei veritatem, sed etiam in suæ cognitionis infallibilitatem reducit. Et d. Thomas infra quæst. 4. art. 8. ad 2. docet quod certitudo fidei, quæ excedit omnem certitudinem naturalem, oritur ex eo quod innitatur testimonio Dei, qui falli non potest, seu res aliter ac sunt in se cognoscere. Et in humanis videmus, quod quamvis homo sit verax & bonæ conscientia, & maxime inclinatur ad dicendum verum, si tamen sit ignorans, & non habeat certam notitiam rei, de qua testificatur, ejus dicta nullam aut parvam fidem apud homines prudentes & sapientes inveniunt; quod manifestum indicium est in assensum fidei humanæ, non solum veritatem dicentis, sed etiam ejus scientiam & notitiam influere.

Confirmatur: Ut testimonium Dei sit formaliter motivum fidei, debet esse verum, non solum formaliter, sed etiam materialiter; id est debet habere duplicem conformitatem, alteram cum re, prout est in intellectu dicentis seu testificantis (in qua consistit veritas formalis) & alteram cum re, prout est in se & à parte rei (in qua veritas materialis sita est): Sed divinum testimonium non potest habere utramque conformitatem, nisi attributum divinæ sapientia, seu veritatem Dei in cognoscendo connotet: Ergo præcisè secundum se, & seculā hac connotatione, non potest esse motivum, seu ratio formalis sub qua fidei. Major est certa; nam actus fidei essentialiter exigit, quod sit tam materialiter quam formaliter verus, & ideò, ut infra dicemus, fidei nec formaliter nec materialiter potest subesse falsum: Ergo divinum testimonium, cui fides innititur, debet esse verum, tam materialiter, quam formaliter. Minor verò suadet: ex divina veritate formaliter tantum infertur, quod testimonium Dei sit formaliter verum; nam juxta doctrinam d. Thomæ infra quæst. 109. art. 1. & 2. virtus veritatis tantum inclinatur ad dicendum rem, secundum quod est in mente loquentis, in quo consistit veritas formalis, unde metiri, quod veritati opponitur, idem sonat ac contrarium ire: Ergo quod testimonium Dei sit verum materialiter, id est conforme rei, prout est in se, aliunde debet provenire formaliter, quam ex veritate Dei, nempe ex ejus summa & infinita sapientia, per quam perfectissimam notitiam rerum omnium habet; quam proinde connotare debet, ut tam materialiter quam formaliter verum sit.

Dico tertio, objectum materiale fidei complecti omnia quæ divinā revelatione nobis innotescunt, & quæ duodecim articulis Symboli comprehenduntur, vel ad eos reducuntur.

Probatur breviter: Illud est objectum materiale fidei, quod subest ejus rationi formali quæ, & sub qua, ut patet ex dictis in secundo notabili: Sed omnia quæ divinā revelatione nobis innotescunt, & quæ duodecim articulis fidei comprehenduntur, sub sunt rationi quæ & sub qua fidei, nempe primæ veritati, & infallibili ejus testimonio, seu revelationi: Ergo illa omnia sunt objectum materiale fidei.

Ex quo intelliges, Suarem disput. 2. de fide, 18. sect. 2. num. 2. & 3. & Philippum à S. Trinitate

in Tractatu de virtutibus Theologicis, disp. 1. a dubio. a veritate deviare, cum dicunt omne a Deo revelabile comprehendere sub objecto materiali adequato fidei. Nam aliud est posse esse obiectum materiale fidei, & aliud esse re ipsa obiectum materiale fidei: ad primum enim sufficit esse revelabile, seu posse a Deo obscure revelari, ad secundum requiritur esse actu revelatum, si- cut ut aliquid sit obiectum materiale visus, non sufficit posse esse coloratum, sed debet esse actu tale: nos autem loquimur de obiecto materiali fidei quod est, seu de eo quod est obiectum mate- riale fidei, non autem de eo quod tantum tale esse potest.

Dices cum Suarez: Quidquid potest fide divina credi, est obiectum materiale fidei: Sed omne a Deo revelabile potest fide divina credi: Ergo omne a Deo revelabile est obiectum materiale fidei.

Sed facile respondetur, distinguendo Ma- iorem: Quidquid potest proximè & completè fide divina credi, est obiectum materiale fidei, con- cedo Maiorem. Quidquid potest fide divina credi remotè tantum, quia scilicet potest obscure re- velari, nego Maiorem. Similiter distinguo Mi- norem: Omne a Deo revelabile potest fide divina credi: potentia proximè & completè, nego Mi- norem: potentia remota & incompleta, concedo Minorem, & nego Consequentiam.

§. III.

Præcipue objectiones solvantur.

Obijcies primò contra primam conclusionem: D. Thomas hic art. 1. in corp. ait: *Si conside- remus materialiter ea quibus fides assentit, non solum est ipse Deus, sed etiam multa alia*: Ergo, juxta D. Thomam, Deus sub ratione Dei- tatis, seu primæ veritatis in essendo, non est ob- jectum formale quod fidei, sed materiale solum.

Respondet D. Thomam ibi loqui de obiecto materiali, per comparisonem ad rationem sub qua, quam antea dixerat esse obiectum formale: obiectum verò materiale sic acceptum, compre- hendit omnia ad quæ fides se extendit, sive pri- mario, sive secundario, sive per se & ratione sui, sive per accidens & ratione alterius & vocatur extensivum. Quare licet Deus, facta compa- ratione ad revelationem divinam, quæ est ratio formalis sub qua fidei, possit dici quodammodo obiectum materiale illius, sicut color compara- tivè ad lucem, quæ est ratio formalis sub qua vi- sus, ejus obiectum materiale dicitur: absolute tamen, & per comparisonem ad fidem, est ob- jectum formale quod; quia attingitur per se primò, & non ratione alterius quod prius debeat at- tingi ut quod; & ratione illius cetera a fide considerantur, ut docet S. Doctor post verba in objectione adducta, subdens: *Quia tamen* (illa multa) *sub assensu fidei non cadunt, nisi secundum quod habent aliquem ordinem ad Deum, pro- ut scilicet per aliquos divinitatis effectus ho- mo adjungatur ad tendendum in divinam fruitio- nem*. Unde tandem concludit, quod obiectum fidei est quodammodo veritas prima, inquantum nihil cadit sub fide, nisi in ordine ad Deum: sicut etiam obiectum medicine est sanitas, quia nihil medicina considerat, nisi in ordine ad sanitatem. Ubi per ly obiectum, intelligit obiectum formale quod, ut patet exemplo sanitatis quod adducit;

A sanitas enim est ratio formalis quæ per se primò à medicina respicitur: & per veritatem primam, significat primam veritatem in essendo, non ve- rò in dicendo; nam de prima veritate in dicendo paulò superius dixerat esse rationem formalem sub qua fidei.

Obijcies secundò: Deus sub ratione Deitatis est obiectum formale quod Theologiæ: Ergo secundum illam rationem non potest esse ob- jectum formale quod fidei. Consequentia videtur legitima: tum quia habitus specificentur ab ob- jectis formalibus, duo habitus specie distincti, quales sunt fides & Theologia, non possunt idem obiectum formale respicere.

B Respondeo concessio Antecedente, negando Consequentiam. Ad cujus probationem dico ha- bitum non specificari ab obiecto formali quod, nisi prout substat rationi formali sub qua: unde ut fides specie differat à Theologia, non requiri- tur quod diversum obiectum formale quod res- piciat, sed sufficit quod sub diversa ratione for- mali sub qua idem obiectum formale quod attingat. Quare D. Thomas 1. p. quæst. art. 1. ad 2. di- cit quod *diversa ratio cognoscibilis, diversitatem scientiarum inducit; eandem enim conclusionem demonstrat astrologus & naturæ, puta quid terra est rotunda; sed astrologus per mediū mathematicū, id est à materia abstractum; naturalis autem per mediū circa materiam consideratum*. Cum er- go similiter fides & Theologia Deum, ut est pri- ma veritas in essendo, diversimodè attingant, nempe sub revelatione formali & immediata, & sub virtuali ac mediata, sunt habitus specie diver- si, licet idem obiectum formale quod respiciant.

C Obijcies tertio: Nulla datur virtus supernatu- ralis, quæ Deum sub ratione sapientis, vel om- nipotentis respiciat tanquam suum obiectum formale: Ergo nec ulla datur, quæ pro eodem ob- jectum habeat Deum sub ratione primæ veritatis in essendo. Antecedens constat, alias enim, cum virtus illa esset theologia, quia respiceret Deum ut Deum, darentur plures quam tres vir- tutes theologicæ. Consequentia verò inde pro- batur, quod Deus non sit magis attingibilis sub ratione primæ veritatis ab aliqua virtute, quam sub ratione sapientis vel omnipotentis.

D Respondet concessio Antecedente, negando Consequentiam, & paritatem. Rationem dispari- tatis assignat D. Thomas quæst. 1. de virtutibus art. 12. ad 10. ex eo quod illæ solum virtutes theo- logicæ admittenda sint, quæ nobis necessariae sunt, ut Deum tanquam finem nostrum attinga- mus: ad hoc autem, præter fidem quæ Deum ip- sum tanquam finem cognoscimus, spem, quæ nos ipsum obtenturum speramus; & charitatem, quæ cum diligimus, nulla alia requiritur, per quam e- undem Deum, sub ratione sapientis, vel omnipo- tentis, respiciamus.

E Obijcies quarto: Si fides Deum sub ratione Deitatis, ut obiectum formale quod respiceret, esset nobilior charitate, cum ista respiciat divi- nam bonitatem, quæ cum non sit Dei essentia, sed solum aliquod ejus attributum, non tantum exprimit perfectionem, quàm Deitas.

Sed negatur sequela: nobilitas enim potentia, vel habitus non petitur ex nobiliori obiecto in esse entis spectato, sed formaliter in ratione ob- jecti considerato: obiectum autem fidei, si for- maliter in ratione obiecti consideretur, non est nobilior obiecto charitatis; quia obiectum cha- ritatis